



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 17. Numerosum Diaguitarum oppidum ad Christi partes transit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

*Ducem alii
Baptismum
recipiunt.*

*Multi pagi
idem bene-
ficium ad-
piscuntur.*

CAPUT
XVII.
Numero-
sum Dia-
guitarum
oppidum ad
Christi par-
tes transit.

*Barbarorum
inconstantia.*

*Sociorum
periculum.*

CAPUT
XVIII.
Quatuor
alia oppida
fidem reci-
piunt.

*Edes Soli
dicata de-
struuntur.*

iverant, ad oppidum redeuntibus: quos cum ad deditioem sollicitassent, nullum repugnantem experti sunt: ducentis hominibus se Christo publicâ fide & primo Sacramento obligantibus. Cum de Crucis opprobrio inquireretur, & nullum facile indicium reperiretur, Socii dissimulatione usi, in presentiarum fatis habuere, si abjurato palam ab omnibus sacrilegio, in commune Crucis honor assereretur. Sparsâ deditioem famâ, complures Ethnicorum pagi, vicinorum imitatione, nunciis ad Socios missis, postulavere, ut, concesso Baptismate, in eandem Christi Fidem se receptum venirent: quod non ægrè, imperatâ singulis pagis antiquorum rituum abolitione, & inductis Christianis legibus, fecere.

HIS rebus sine tumultu peractis, eò iter direxere, quò accersebantur ab Indis, numerosius oppidum habitantibus, eoque ferocioribus: mille & amplius Diaguitarum capita erant, qui adventantibus Patribus sese obviam ex Oppido effudere, oblongas Cruces, quò se ejus Candidatos profiterentur, manu omnes præferentes. Extra Oppidum amplissimum spatium floribus & arcibus triumphalibus ornaverant, per quos inter choreas, gratulationes, & vocum hilaria, in domum paratam inducti Socii, omne genus leguminum, & gallum gallinaceum, palmare gentis donum, pro cibatu accepere; & vicissim ab Romero laudati, luculentâque Oratione ad Christo fidem dandam invitati sunt: nemine Christiano Oratori gestibus & voce non applaudente. Hæc mane: sed cadente Sole longè alia rerum facies fuit: nam sive epoto liberiùs vino, sive præstigiatorum suasionibus, oppidi Magnates magno comitatu, eoque cultu, quo cædem perpetrare solent, ad Socios ventitavere; ad quos Romerus intrepidè conversus, per interpretem monet, ut depositâ barbarie tandem Christum agnoscant: nec vellent pertinacitate corrumpere occasionem è duro Dæmonis jugo sese eximendi. Plura dicere paratum Barbarus, inter suos ferocissimus, interpellat, vociferans, se neutiquam permissurum, ut populares sui, quod Christianæ legis Candidatis imperari solebat, comam, capitis ornamentum & militum insigne, dimittant; & indignum videri, si ornata plumis suorum capita in templorum aditu, Hispanorum more, nudare egerentur: denique Majorum more se velle vivere. Nec plura effatus, cum cætero comitatu è Sociorum conspectu ex inopinato se proripit. Socii, hæc denunciatione non dubii grande sibi imminere discrimen, summum Numen per preces invocant, mortem, aut vitam ex ejus nutu expectantes. Non vana fuit imploratio Numinis, nam sequenti mane iidem Barbari, evaporato per somnum vino, ad Socios unâ se conferunt, præterita diei inter hilaria transacta ebrietatem excusantes. Idem cum Oppidi Primores assererent, & certatim baptizandos pueros offerrent, magna alacritas ex recenti periculo animos pervasit Sociorum, qui, dissimulatâ injuriâ, ætate grandioribus facile concessere, ut pro libitu comam alerent, dummodò, superstitionis ritibus abjuratis, Christianos mores admitterent. Mirum dictu! tanta omnium consensus fuit, ut inter paucos dies supra mille capita, recepto Baptismo, Christo se subdiderint, & trecenta conjugum paria se legitimi Matrimonii vinculo adstrinxerint.

VOLAVERAT novitatis fama ad alios quatuor Ethnicorum pagos, qui, accersitis Sociis, per nuncios affirmavere, si venirent, nihilo se aliis in suscipiendo Christo fore tardiores, & comam omnes, in signum obsequii, quod alii detrectaverant, posituros. Eò properantibus Sociis, municipes ex singulis pagis effusi, viarum obstacula, per tres integras leucas, honoris & commoditatis ergò, amorem venere, summi Dei Sacerdotes magnâ hilaritate ubique excipientes. Facta in his Oppidis Ethnicorum omnium per Baptismum expiatio est. De quorum antiquis ritibus cum inquireretur, repertum Solem ab universa gente adorari, in cujus cultum plumarum fasciculos, in ædiculis erectos, animalium cruore aspergebant. Casiquiorum animas post mortem in planetas, plebeiiorum verò & brutorum in minores stellas, verti autumabant. Porro, ut aliquo insigni facto ostenderent, se antiquos mores sincerè detestatos fuisse, jussi sunt à Patribus Soli dicatam domum

funditus